LECTIO PROOEMIALIS

DE

Præstantia, & Nobilitate, & Antiquitate
Linguæ Hebraicæ

HABITA


A FRANCISCO GRISENDO ROMANO

Pro initianda publica ejus Professione
de eadem lingua

IN ROMANO SAPIENTIÆ LYCÆO,

ET DICATA

SS. D. N.
INNOCENTIO XII.
PONT. MAX.



ROMÆ, MDCXCVI.
Typis Francisci de Rubeis, & Francisci Mariæ Acsamitek.

SUPERIORUM PERMISSU.

160



SANCTISSIME PATER



RIMITIAE ex Hebraicæ linguæ Cathedra, mihi collata ex TVA humanitate, nemini erant dicandæ, quam TIBI, BEATISSIME PATER, qui destruis *Cathedras* Psal. 1. *pestilentiæ*, nempe hæreseos, & qui sedes super Matth. 24. *Cathedram Mosis* & Petri, *& in Cathedra Seniorum*, videlicet Sanctorum Patrum, factus Psalm. 105. Ex Theoph. Raynaud. in Onomast. Pontif. es *Magister Catholicæ fidei in Schola Apostolo-*

rum: Præceptum in Veteri lege de offerendis Deo primitiis, in Nova etiam lege obſervandum duxi pro iis offerendis TIBI, qui Jeſu, filii Dei, vices geris. Reſpice quæſo ad hæc pri-
Gen. 4. mogenia, quemadmodum *Deus reſpexit ad primogenia Abel:* cum hæc, TVAM exorantia benignitatem, primogeniam præferant linguam, qua locutus eſt Abel, & Adam. Benedicat dextera TVA agrum meum, ne ſterilis
Gen. 26. fiat: ſed uti ager Iſaaci Patriarchæ germinet *Centuplum:* & veluti Paulus *ſecus pedes Ga-*
Act. 22. *malielis eruditus*, ita & ego ſecus TVOS pedes provolutus, humillima iis infigo oſcula, in Te diligens Jeſum, ac timens illud: *Qui non*
I. Cor. 16. *amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema.*



LE-

 161



LECTIO PROOEMIALIS.



RTIUM Professores, ut alliciant suos Auditores ad studium earum artium, quas profitentur, assolent primùm de earumdem præstantia, nobilitate, & antiquitate disserere. Non secùs mihi, docturo linguam Hebræam (ita disponente Deo, & jubente SS. D. N. Innocentio XII.) non secùs, inquam, mihi agendum videtur. Aggredior itaq; impositum mihi onus, etsi agnoscam impares meas vires, ut pro dignitate loquar, & satisfaciam Auditoribus meis. Quidquid tamen afferam in hac procemiali lectione & in toto decursu mei muneris, id pro litteratura Hebraica profiteor didicisse à q. D. Joanne Baptista Jona, olim Hebraici Professoris in hoc Lyceo, viri sanè in hujusmodi scientia incomparabilis, & singularis, cui similem suspirabit Roma, & pro quo specialem lectionem aliàs habiturum me promitto, ne tanti viri memoria, & notitia penitùs pereat.

Cum autem perpendam, linguam Hebrǽam esse linguam populi miserrimi, infelicissimi, & ærumnosi, de quo, sicut nil boni dici potest ob durissimam

ejus cervicem, ita nec laudandus sit pro præstantia, nobilitate, & antiquitate linguæ, quà utitur. At, posthabita nupera populi ignominia, consideranda est vetusta ejusdem nobilitas, prosapia diffusa è maximis, & primævis viris, favores cælitùs allati, ut saltem ob hæc, aliaque præterita non pigeat aliquantulùm de lingua disserere. Nec me, quin faciam, deterrent oppositiones ex hoc fortè loco progressuræ. Itaque animus est laudare linguam Hebræam, & quidem pro justitia; nec mihi propterea est animus floccifaciendi reliquas linguas, & præsertim Syram, quæ sola præsumit in palestram descendere, primamque palmam pro linguarum primatu illegitimè sibi usurpare.

Quanti faciant Hebrei Syriacam linguam, agnoscitur ex Talmude Hierosolymitano, in quo legitur;
Fol. 21. 3. אל יהי לשון סורסי קל בעיניך וכו *Ne sit vilis in oculis tuis*
כב fol.83.4. *lingua Syriaca*, cui honorem tribuit Deus in Lege, in Prophetis, & in Hagiographis: nam in lege legi-
Gen. 31. tur יגר שהרותא In Prophetis dicitur כרנהתאמרון In Ha-
Jerem.c.10. giographis scribitur וידברו הכשדים למלך ארמית Et quam-
Dan. c. 2. vis vulgare sit illud apud Rabbinos in Talmude Babylonico לעולם אל ישאל אדם על צרכיו ארמי כי חשאל בלשון ארמי אין מלאכי השרת נזקקין לו שאין מלאכי השרת מכירין בלשון ארמי *Nemo petat, aut oret Syriacè pro suis indigentiis: nam oranti Syriacè pro suis necessitatibus Angeli ministerii non adhærent. Siquidem Angeli ministerii ignorant linguam Syriacam*, Et ita nequeunt preces ad Deum deferre. Id siquidem dictum reor, non

 162

in dedecus linguæ Syriacæ, sed ne in desuetudinem abiret Hebraica oratio, & ne solùm Syriacè deprecarentur Hebræi. Quando quidem docent communiter Rabbini, Josephum Patriarcham didicisse Septuaginta, idest omnes linguas, ab Archangelo Michaële, inter quas linguas Syriaca sanè recenseri debet, non ignota Michaëli Archangelo: Immo Hebræi dividunt Pentateuchum in plures partes, quas Latinè *Sectiones* nuncupare possumus, Hebraicè verò פרשיות Quælibet sectio, vel פרשה Hebraicè primùm in Synagogis legitur singulis Sabbatis, in quibus cadit quælibet sectio, postmodum verò legitur ibidem Chaldaicè translata, & sunt obligati Hebræi ad legendum Chaldaicè ab antiquis diebus: originem verò hujusce Chaldaicæ lectionis prætereo, ne prolixitate tędium inferam benignitati DD. Audientium. Et hæc dicta sunt pro honore linguæ Syriacæ ab Hebręis pręstito.

Elias præfat. in Methurghäin.

Non desunt tamen aliqui ex nostris, affirmantes, linguam Syriacam jam diu corruptam esse, & obliteratam, hodieque non vigere. Hi moventur ex eo, quia leguntur apud Danielem pueri Hebræi introducti in palatium Regium, ut discerent linguam Syriacam; quibus pueris Rex constituit Eunuchorum magistrum, ut eos doceret, ספר ולשון כשדים *Librum*, & *linguam Chaldęorum*: idest, linguam Chaldęorum in libris asservatam: non enim, inquiunt illi, opus erat, quòd hujusmodi pueri instituerentur in lingua Syriaca vulgari, cum eam & usu, & consuetudine loquendi cum aliis, & nobilibus, & ingenuis pueris,

Jul. Bart. in Bibl. Rab. To. 3. p.14.

Cap. 2.

in Re-

in Regio palatio versantibus, facillimè addiscere potuissent. Ita isti loquuntur, & an rectè loquantur, renuo judicem constitui, cum munus meum non sit loqui de lingua Syriaca, sed Hebraica, quæ sanè nullam hactenus admisit corruptionem, uti præfertur de Syriaca.

Capite 48. In מכילתא par. 5. In Tanchū. par. כלב In Cantica Cantic. pas. גן נעול In Exod.

Constans est enim, & universalis Rabbinorum assertio, in captivitate Ægyptiaca conservatam fuisse illibatam, integram, & incorruptam linguam Hebræam, prout in suis פרקים affirmat R. Eliezer Senior, qui vixit propè excidium Jerosolymitanum, & sequitur Benedictus Pererius. Idque clarè percipitur ex nominum impositione ab effectu. Siquidem clarum est, Mosen in Ægypto natum, projectum in Nilum, & ab eo salvatum per filiam Pharaonis, & inde à verbo משה, nempè *extrahere*, inditum esse nomen משה. Postmodum Moses profugus ex Ægypto in Madian filium suum primogenitum nuncupavit *Ghersom*, teste sacro Codice, dicens, *Advena fui in terra aliena*. Alterum filium nuncupavit *Eliezerum*, inquiens: *Deus patris mei, adjutor meus &c.* Horum nominum etymologia optimè quadrat cum lingua Hebrea, in qua *Advena* dicitur גר: & Eliezer eruitur ex iis verbis אלי עזרי. Non ita pulchrè congruit lingua Syra cum horum nominum impositione. Nam quoad nomen Mosis ait. וקרת שמה משה ואמרת ארי מן מיא שחלתיה *Et vocavit nomen ejus Moses, & dixit, quia ex aquis* שחלתיה *extraxi eum*. Ubi, quænam cognatio inter vocem Moses, & שחלתיה *extraxi eum?*

traxi eum? Quàm bellè affinitas procedit inter משה, & מתיתהו, nempe à משה *extrahere*, quia nempe extractum ex aquis. Ex ipso vocum sonitu arguitur earumdem affinitas, & cognatio.

Deinde nulla est convenientia apud Syros inter nomen primogeniti Mosis; qui nuncupatus est גרשום Ghersom: quæ vox nullibi consonat cum Syro דיר.

Audire tamen mihi videtur quidam Syrus hæc secum mussitans. Si hæc nomina filiorum Mosis nón conveniunt cum lingua Syriaca, nec sanè convenit cum lingua Hebraica ipsum nomen Mosis, cum non sit Hebraicum, sed Ægyptiacũ, teste Philone scribente. *Post hæc nomen ei datur ex re ipsa, quod erat ex aqua salvatus. Nam Ægyptiorum lingua mos aqua dicitur.* Philoni concinit Fl. Joseph inquiens. *Et quia projectus fuerat in flumen, ab hoc casu nomen sortitus est. Aquam enim Ægyptii Mo vocant, ises verò servatus. Quare composita voce ex utrisque nomen Mosi fuit inditum.* Eamdemq; sententiam apud Hebreos secutus est Abrahã Avenezra, dicens, nomen Mosis esse traductum à lingua Ægyptiaca, in qua dictus fuit *Monios*, & ita invenisse in libro Ægyptiaco de Agricultura translato in linguam Arabam, & libris Sapientium Græciæ.

L. 1. de Vit. Mos.

L. 2. Antiq.

Exod. 2.

His tamen non obstantibus constanter assero, nomen Mosis esse Hebraicum, non verò Ægyptiacum. Et quoad Philonem respondeo, ipsum, etsi Hebreum, Hebraicam tamen linguam ignorasse: quare scribit Gilbertus Gaulmin, Gallus Hebraicè eruditus, de

In Gall. Orienta. quo loquitur Paulus Colomesius. *Certè Philo Hebraicè nesciebat, ut pridem à viris doctis observatum est*. Idemque de Fl. Josepho audivi ab Abrahamo Ecchellensi, viro Syriacè admodum docto, & Syrarum litterarum in hoc Archigymnasio quondam Professore.

Quoad nomen Mosis clarissimè loquitur sacer textus, illud provenire à verbo משה. Dubium tamen est, à quonam impositum. Communiter dicitur à filia Pharaonis. Sed in hoc consistit error. Nam impositum fuit à Jocabed, Mosis genitrice. Nam verbum Hebraicum משיתהו non est prima persona, sed est secunda persona fęminini generis. Qui Hebraicè periti estis, consulite grammaticas vestras, & invenietis in verbis quiescentibus Lamed He, quod משיתהו non est prima persona, adeo ut significet *Extraxi eum*, & intelligatur filia Pharaonis: quia ad hoc ut sit prima persona post Tau necessaria est littera Jod, quæ defecit in casu nostro, estque tantùm sub littera ת punctum Chirich Chaton, qui non æquivalet Jod Gadòl.

Exemplum do. Legitur in שיר השירים Cantico
Cap. 5. Canticorum hoc verbum השבעתני *Adjurasti nos*: quod verbum est secunda persona masculini generis. Cum autem idem verbum referatur ad Sacram Sponsam, de qua sermo est in eodem cantico, ideòq; debeat esse
In מכלול יופי fęminini generis cum affixo masculino, hinc Salomon Ben Melec notat, errorem grammaticalem ibidem esse, & sub ת Tau punctandum Chirich Chathon

thon, cùm verbum ſit ſecunda perſona fœminini generis. Idemquè verbum, & eodem modo punctatum reperitur apud Joſve, idemque Author ait emendandam cum Chirich Chathon ſub ת Tau, cum referatur ad Raab, quæ domi ſuæ ſuſceperat exploratores Hebręorum pro terra promiſſa, ideoque ſit fœminini generis. Ergo pariter verbum de Moſe מְשִׁיתִהוּ erit verbum ſecundæ perſonæ fœminini generis cum ſub ת Tau adſit Chirich Chathon, & poſt ת Tau deſit littera Jod, cujus deficientia operatur, ne ſignificet *extraxi eum*, ſed *extraxiſti eum*. Cap. 2.

Ego nō ſum inventor novę ſententię, &, ut loquar cum Salomone, *Stultiſſimus ſum virorum & ſapientia hominum non eſt mecum, non didici ſapientiam, & novi ſcientiam Sanctorum*. Pro ſupradicta ſententia adſtipulatorem habeo Jo. Leuſden, peritiſſimum Hebraicæ linguæ Profeſſorem, ut norunt omnes, in Academia Ultrajectina, qui in Spicilegio Hebraico ait. *Nomen Moſis non eſt origine Ægyptiacum, ſed Hebraicum. Quiſnam vocavit eum* משה *Materne, an filia Pharaonis? Mater*. Exod. 2. 10. *Et vocavit*, ſcilicet mater ejus Jocabed, nomen ejus משה, *Et dixit* (mater) *quia ex aquis extraxiſtieum*, nempe tu filia Pharaonis. *Nam* (nota bene) משיתהו *eſt ſecunda perſona fœminini generis cum affixo maſculino, non verò primæ perſonæ, quia deeſt Jod poſt Tau*. Quid clarius dici poteſt? Textui adhæreo, litteram ſequor. Qui repugnat, regulam grammaticalem refellat. Nec quis dicat: Omnes contradi-

Margin notes: Prov. 30. — Cap.13.n.9.

cunt huic explicationi. Novi, quod omnes contradicant: sed videndum, an jure contradicant. Grammatica tuetur meam expositionem,& alienam reycit. Si fallor, diruendum est prius fundamentum grammaticale, idque erit impossibile.

Dicet non nemo: quomodo filia Pharaonis, dum erat Agyptia, imposuit nomen Hebraicum. Respondet Abenezra : למדה לשונו *Didicerat linguam nostram*. Grande decus esset linguæ Hebraicæ, ut filia Regis eam didicerit, præsertim ,cum pater persequeretur nationem Hebręam, eamque odio prosequeretur. Quamobrem inverisimile ducitur, quod filia didicerit linguam gentis patri odiosæ : ideoque probabilior videtur altera ratio ab Abenezra reddita, videlicet, או שאלה *Vel inquisivit*, quonam nomine erat vocandus. Quoniam Hebræi in ואלה שמות רבה dicunt, quod Mosis genitrix lactaverit filium suum per biennium, & interim vero consonum est, quod pluriès reportaverit infantem Mosem ad filiam Pharaonis, quæ illum diligens, amplectabatur, & osculabatur, & tunc inquisivit à matre de nomine imponendo ab effectu secuto, materque dixit, nuncupandum esse משה à verbo משה *extrahere*, nomenque approbavit filia Pharaonis : & propterea dicitur in textu: *& vocavit*, scilicet mater Mosis, *nomen ejus*, משה, quia tu filia Pharaonis משיתהו *extraxisti eum*.

Itaque nomen Mosis fuit origine Hebraicum, & non Agyptiacum, & approbatum prius à filia Pha-

raonis

raonis, & deinde à Deo, secus verò alia nomina, quibus vocatus fertur Moses, nempe Melchi, Joachim, Adamosi, Tetmosi, & similia apud Eusebium Cæsariensem, Cedrenum, & Clementem Alexandrinum, quibus addi potest nomen יקותיאל, de quo in libro l. 10. Præp. Evangel. In Annal. l. 1. stromm.
רברי הימים של משה hæc referuntur ואמו קראו לו יקותיאל כי
הניקתהו משריה *Et mater ejus vocavit illum Jecuthiel, eo quod suis uberibus eum lactasset*. Sed liber ille tamquam apocryphus reiicitur ab Abenezra, dicente. ואשר כתוב ברברי הימים של משה אל תאמן *Et quidquid scribitur in Chronicis Mosis, ne credas*. Exod. 2.

Sed insurget adversarius, prætendens aliundè arguere corruptionem linguæ Hebraicæ in Aegypto, nempe ex verbis Jacobi Patriarchæ, qui in benedictione præstita filiis suis Leui, & Simeon dixit. *Simeon, & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia*. quæ postrema verba Hebraicè dicuntur כלי חמס מכרותיהם *Instrumenta iniquitatis macheræ eorum*; uti nonnulli apud nos traducunt. Et verbum מכרותיהם non Hebraicum, sed Græcum à μάχαιρα, apud Hebræos affirmat R. Eliezer Senior, qui scripsit קלל את הרבם בלשון יונית *Maledixit eorum gladium lingua Græca*. Ergo infert adversarius, in Aegypto, ubi viguit lingua Græca, corrupta fuit lingua Hebræa, Græcas voces admiscens. Genes. 49. In פרקים c. 38.

Huic obiectioni respondeo cum alio textu Sophoniæ Prophetæ, qui ait. נוגי ממועד אספתי ממך: ubi D. Hieronymus asserit, verbum illud נוגי esse Latinum, non secus ac nos Latini dicimus *Nugæ, nugarum*. Cap. 3.

Et

Et ſcribit ille. *Id, quod diximus Nugas, ſciamus in Hebræo ipſum Latinum eſſe ſermonem* נוגי, *& propterea à nobis ita, ut in Hebræo erat, poſitum, ut noſſe poſſimus, linguam Hebraicam omnium linguarum eſſe matricem.* Ex quibus verbis habetur, verbum נוגי apud Sophoniam eſſe Latinum, non quia non ſit verbum Hebraicum, ſed quia ſimilatur verbo Latino *Nugæ*, eo quod lingua Hebræa ſit mater omnium linguarum.

Non ſecus dicendum eſt de verbo Machæra: non quia verbum iſtud non fuerit Hebraicum, ſed quia ſimilatur verbo Græco, quod poſtmodum Græci acceperunt ab Hebraica lingua, eo quod ipſa ſit matrix omnium linguarum. Hanc veritatem fatetur Cornelius à Lapide, inquiens. *Hoc valdè appoſitum eſt, videturque nomen Machæra, uti & alia multa Latina, & Græca, ab Hebræis deſcendere, licet id neget Eugubinus.* Itidem fatetur Jacobus Bonfrerius dicens. *Vox Hebræa* מכרה, *à qua, videtur Græca vox μάχαιρα ſumpta.* Prædictis concinit Martinus Delrius loquens de eadem voce μάχαιρα. *Græci videntur hac ſignificatione vocem amplexi, & linguam Hebræam conſtat eſſe aliarum linguarum matricem.*

Pari pacto dicendum de verbo נוגי apud Sophoniam, quod vere ſit Hebraicum, licet ſimile Latinæ
In Philolog. voci: adeo ut Glaſſius vehementer invehatur in D. Hieronymum, tanquam imperitum linguæ Hebraicæ, dum putavit, verbum illud נוגי apud Sophoniam

eſſe

esse Latinum. Ego verò non culpo D. Hieronymum, cujus dicta non respuo in verbo Hebraico נוגי, & pro quo ex aliis argumentis habeo, ipsum fuisse peritissimum linguæ Hebraicæ. Nam licèt נוגי sit consonum Latino verbo in vocis prolatione, dispar tamen est in sensu: nam apud Hebræos significat homines mæstos, & afflictos à verbo נוג *mæstitia affligere, & afficere*. Hinc in Trenis dicitur בתולותיה נוגות *Virgines ejus squallidæ, seu mæstæ*. Cap. 1.

Integritas igitur linguæ Hebraicæ non fuit vitiata in captivitate Babylonica. Nonnullam tamen corruptionem accepit in captivitate Babylonica, in qua per septuaginta annos viventes Hebræi assumpserunt linguam Chaldæam, eàque usi sunt Jerosolymis pro vernacula lingua, qua etiam Christus Dominus usus est juxta Hebræorum morem, ut ostenditur ex iis verbis Evangelicis, *Effatha, quod est adaperire, Talitha Cumi hoc est Puella surge, Boanerges*, id est *Benè rangàs, filii tonitrui, Rabboni, quod est interpretatum Magister, Cepha*, hoc est *Petra*, & ex aliis, quæ apud Hebræos ex Evangeliis congerit R. Azarias de Rubeis, & præcipuè ex illis verbis D. Lucæ, qui loquens de Judæ proditoris suffocatione scribit. *Notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum* חקל דמא *Ager Sanguinis*. Vbi notanda sunt ea verba, *lingua eorum*, hoc est Chaldaica, qua utebantur Hebræi.

In lib. מאור עינים cap. 9. pag. 52. à tergo. Act. 1.

Fateor aliquam corruptionem ab Hebræis haustam in urbe Babylonica: dixi *aliquam*, quia non

fu-

fuit totius populi corruptio, ſed המון העם *plebis*, &
L. 1. pag. 175. *vulgi*, ut loquitur præfatus Azarias : quandoquidem apud Sapientes, & doctos remanſit integra lingua Hebræa, uti conſtat ex Talmude Jeroſolymitano, ut pote Jeroſolymis compoſito, cujus lingua Hebraica admixta eſt cum aliquibus dictionibus Chaldaicis : & pleniùs conſtat ex Ghemarà, nempe explicatione, & complemento addito à Rabbinis Talmudi Babylonico, quod eſt pura lingua Hebraica pręter Maamarim.

Sed lingua Syra, penitus apud doctos etiam, corrupta fuit tempore Danielis. Id ſiquidem demonſtrat viſio manus ſcribentis in pariete hæc tria verba, *Mane*, *Techel*, *Phares*, pro quibus verbis dicitur
Cap. 5. apud Danielem. *Exclamavit itaque Rex fortiter, ut introducerent Magos, Chaldæos, & Aruſpices. Ingreſſi autem Sapientes Regis non potuerunt nec ſcripturam legere, nec interpretationem judicare Regi.* Non me latent Rabbinorum rationes, ob quas Chaldæi nequiverint legere ſcripturam : ſed rationes omnes ſunt divinatoriæ : certum eſt, quod Scriptura erat Chaldaica, nam Rex Baltaſſar non juſſiſſet introduci Chaldæos pro Scriptura interpretanda : & impoſſibilitas lectionis aliunde oriri non potuit, niſi ex ignorantia tunc temporis linguæ Chaldaicæ, etiam apud doctos Chaldæos.

Majus itaque præjudicium quoad linguam attulit Hebræis captivitas Babylonica, quæ duravit ſeptuaginta annis, quàm captivitas Aegyptiaca, quæ duravit bis centum, & decem annis : quia lingua Chaldęa

erat

 167

erat filia linguæ Hebrææ, ideoque facilis fuit ex Hebræo in Chaldæum corruptio. Sed lingua Aegyptiaca plurimùm discrepabat à lingua Hebraica: quamobrem David loquens de Josepho in Aegyptum translato, cecinit: *Linguam, quam non noverat, audivit.* Et Aegyptiacam linguam idem David *Barbaram* nuncupavit, alibi dicens. *In exitu Israel de Aegypto, domus Jacob de populo barbaro.* Hebraicè מעם לעז *de populo alienæ linguæ, quia lingua Sancta non loquebatur*; ut explicat R. Salomon. Huc refertur illud D.Pauli. *Si nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquar, barbarus.* Sic Græci olim vocabant *Barbaros*, quotquot non utebantur lingua Græca, nisi quod tandem ab ea appellatione Romanos exemerint. Non ita proceditur cum lingua Syra, quæ nunquam *Barbara* nuncupata fuit, utpote filia linguæ Hebraicæ: & quod communiter asseritur, à D. Matthæo scriptum esse Evangelium Hebraicè, non intelligitur scriptum fuisse ea locutione, quæ invenitur in sacris Bibliis Hebraicis, sed Hebraicè, id est Chaldaicè, quemadmodum ejus ęvo communiter loquebantur Hebræi.

Psal. 80.

Psal. 113.

1. Cor. 14

Nec officiunt ea verba D. Matthæi *Aceldama*, hoc est, *Ager sanguinis*; nam si scripsit Syriacè, frustranea esset ejus verbi interpretatio, quod Syriacè dictum idem significat. Nam hujusmodi interpretatio non est apposita à D. Matthæo, sed ab interprete ejus Evangelium in Græcum transferente. Quemadmodũ & illud *Emmanuel, quod est interpretatum,*

Cap. 27.

Cap. 1.

 no-

Exod. 12. *nobiscum Deus*. Non secus ac illud in textu Latino, *Phase*, hoc est, *transitus*. Siquidem in textu Hebraico deest hujusmodi interpretatio, nam פסח est *Transitus*, ideoque addita est ab Interprete Latino. Ceterùm in Syriaco D. Matthei Evangelio deest illa vox *Aceldama*, cujusque interpretatio, uti videri est in Bibliis Polyglottis.

Tom. 5. pag. 144. & Bibl. edit. ab Arias Montano.

Ex dictis colligitur, quod lingua Hebræa sit matrix omnium linguarum, quia ipsa fuit lingua primęva, & quam locutus est Adam, idque perspicuè probatur. Quandoquidem Adam dictus est ab Adamà, terra rubra, & Heva post partum Cain dixit: *possedi hominem per Deum*: siquidem nomen Cain provenit ab Hebraico verbo קנה *possedit*.

Sed inquiet aliquis: hæc communia sunt cum lingua Syra, ergo nulla probatio. Quare apud nos

In Genes. Theodoretus, Cyri Episcopus, quærens, quęnam lingua sit antiquior, respondet: ***nomina ipsa indicare. Adam enim, & Cain, Abel, & Noe, propria sunt linguæ Syriacę. Syrorum enim mos est, terram rubram appellare Adam, &c.*** Hæc sanè communia sunt cum lingua Hebræa, & Syriaca: cum lingua Hebræa, quia sunt ipsius propria: cum lingua Syriaca, quia desumta ex lingua Hebræa.

Sed afferam unum, solum communicabile cum lingua Hebræa, & incommunicabile cum lingua Syriaca. Quodnam est illud? Illud sanè, quod refert Sacer Codex de Adamo, quod Hevam nuncupavit mulierem, eo quod sumta esset de viro. Hebraice dicitur

citur

citur. לזאת יקרא אשה כי מאיש לקחה זאת *Hæc vocabitur mulier, quia de viro ſumta eſt*. Vt intelligatur myſterium, ſciendum eſt, quod Vir apud Hebræos inter reliqua nomina dicitur איש, mulier dicitur אשה. Dixit ergo Adam. Hanc ſociam, quam mihi dedit Deus, nuncupo אשה mulierem, quia de איש Viro ſumta eſt. Ergo, quia de viro, nempe איש ſumta fuit Heva, ideo Adam eam appellavit אשה, nempe mulierem. Et notanda eſt cognatio, & affinitas inter has voces איש, & אשה *Virum*, *&* *Mulierem*. Inveniturne hæc conſonantia, & cognatio inter Virum, & Mulierem apud Syros? minime gentium. Nam Syri vocant Virum גברא Gabro, à qua voce non fit גברתא Gabrathà, nempe *Mulier*, quæ apud Syros dicitur אתתא: & inter *Gabro*, & *Ithethà* nulla intercedit vocum affinitas, prout intercedit inter איש, & אשה.

Reſpondet Syrus, etiam à *Gabro*, ideſt Viro, dici poſſe *Gabratà*, nempe Mulier. Hoc pernegant Talmudici, dicentes. שמעת מימיך גברא גברתא *Audiſti ne unquam à Gabro Gabratha*? Talmudem reiicio cum Eccleſia Catholica. At hic non agitur de re ad fidem ſpectante, ſed de dictione. Conſulantur Sclindlerus, & Buxtorphius, qui in eorum lexicis Rabbinicis, & Syris nullam ponunt derivationem Gabrathà à Gabro, quam ſanè non prætermiſiſſent, ſi adeſſet hujuſmodi derivatio. Et non ita ſtolidos, & mente captos reor fuiſſe Talmudicos, ut hæc ſcribentes in meditullio Chaldææ, hoc eſt in urbe Babylonica, voluerint ſeſe exponi omnium Chaldæorum cachinnis,

In כל par. 18. n. 1.

& deriſui, & ſeſe mendaces oſtendere, ſi à *Gabro* profluerct *Gabrathà*. Si dici poteſt, detur exemplum. Sacra Biblia ſunt tota Chaldaicè tranſlata: detur exemplum, mulierem dici Gabrathà. Si non invenitur, liquet, dici non poſſe.

Antequam ulterius progrediar, liceat mihi argutiam afferre ex Abenezra, qui notat in hiſce duabus vocibus איש, & אשה inveniri unum ex Dei nominibus, videlicet יה, cujus prima littera, nempe Iod, adeſt in איש, altera vero, nempe ה in אשה, ad ſignificandum, quod Vir, & Mulier debeant ſecum ſemper habere Deum. Quod ſi Deum non haberent, quid ſequeretur? Auferatur ex iiſdem vocibus יה Dei nomen, & utraque vox remanebit אש, quæ ſignificat ignem, ut doceatur, quod ſi inter Virum, & Mulierem non adſit Deus, adeſt ignis, nempe diſcordia, rixæ, aliaque mala. Hæc argutia olim à Poeta Latino expreſſa fuit ſequenti epigrammate de איש, & אשה

Littera ſi decima hoc in bino nomine quintæ
Jungitur, ecce Dei nomen habere vales.
Si divum demes è bino nomine nomen,
Quid reliquum bini nominis? ignis erit.
Vir, Mulierque Deum foveant: ſi numen utrique
Deeſt, ignem ſubitò Vir, Mulierque fovent.

Huic accinit illud

Non miror, malè convenire ſecum
Vxor peſſima, peſſimus maritus.

& hæc dicta ſint parergon gratia.

Iterum inſurgit Antigoniſta, obarmatus præ-

tenſo

tenso argumento solùm communicabili linguę Syræ, & incommunicabili cum lingua Hebræa, desumto ex iis Adami verbis. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Hevam, eo quod mater esset cunctorum viventium.* Ex quibus verbis eliciunt Interpretes Hevam significare *Vitam*, eoquod ipsa futura esset mater omnium viventium. Porrò *Vita* Syriacè dicitur חוה, & Hebraicè חיה: & vox חוה est uniformior cum voce Heva præ voce חיה, ergo Adam locutus est Syriacè, & non Hebraicè. Genes.3.

Hoc argumentum Syri ducunt validissimum, & insuperabile, sed apud Hebræos est insulsum, & frigidum. Non dicam rationem redditam à R. Salomone, ob quam Heva dicta fuit חוה, & non חיה, nempe

על שהיא חוה דברנית ומצפצפת ודברה עם הנחש דברים שלא לצורך עד נתפשת בדבריו וחטאת והחטיאה לבעלה על כן קראה שמה חוה.

Eo quod loquatula, & garrula fuerit, locutaque sit cum serpente verba inutilia, donec comprehensa est in verbis ejus, & peccavit, & peccare fecit suum maritum, proptereà vocavit eam Chavàm. Hæc autem ratio, ut verum fatear, non est solida: nam dicta est חוה, quia futura erat mater omnium viventium, non quia locuta est cum serpente.

Pro adæquata responsione supponendum est, quod Hevæ nomen propriè, & adamussim dicendum fuerat Hebraicè חיה, nihilominus in lingua Sancta litteræ אהוי sunt invicem, & inter se permutabiles, & una pro alia legitur. Ita placuit Spiritui Sancto in Bibliis Hebraicis hasce litteras permutare: & si quis hoc

nega-

negaret, oſtenderet ſe penitus Hebraicè neſcire, & nunquam perlegiſſe Sacros Codices in lingua Hebrę a: Inter eas litteras permutabiles ſunt Iod, & Vau, quarum unaquæque pro altera ſumitur, & legitur. Id Hebraicè perito conſtat manifeſtè, & de hoc non diſputandum. Hinc Vau in חוה legendus eſt pro Iod; ut verbum dicat חיה, & non חוה. Vnde ſcribit Cornelius à Lapide. *Heva Hebraicè eſt* חוה *vivens, aut potius vivificans, à radice* חיה*, ideſt vivit, eo quod futura eſſet mater omnium viventium.* Et prius ſcripſerat Aloyſius Lippomanus. *Dicitur à Caià, ſed Iod in Vau commutata, ſicut alibi pluribus in locis contingit, quippe quæ fuit omnium viventium mater.*

Obiicitur quod ſi pro Vau in nomine חוה legendus eſſet Chaià, & non Hevà, Tranſlator Latinus traduxiſſet Heia, & non Heva. Sed reſpondetur, cum eodem Lippomano, quod in hoc nomine orta eſt aliqua confuſio: nam ſicut in textu hebraico dicitur חַוָּה ſic Latine dicendum eſſet Havà, & non Hevà, *& quemadmodum A commutatum eſt in E, ita pro Iod accepta eſt littera Vau.* Quid clarius? neque verum eſt, vitam apud Syros dici ſemper Chavà: nam dicitur etiam חיה. Ideoque non neceſſario probatur, Adamum dixiſſe Chavàm, potuit enim dixiſſe Chaià. Et licet dubium foret, utrum protuliſſet Hebraicè, vel Chaldaicè, præſumptio eſſet, quod Hebraicè, ut hoc verbum uniformaretur cum אשה, prout ſuperius diximus.

Ergo ſatis ſuperque compertum eſt, quod Hebraica

braica lingua fuerit primæva, quamque locutus est Adam. Propterea corruit concertatio inter Aegyptios, & Phryges de eorum antiquitate, adeo ut elegerint puerum recens ortum, eumque consignaverint cuidam pastori nutriendum, ut observaret primam vocem ab infante promendam, quæ fuit *Becus*, significans panem apud Phryges, qui hac de causa fuere contentionis victores, ut narrat Herodotus, & cecinit Claudianus. In Euterpe. Adverſ. Eutrop.

Dat cuncta vetustas
Principium Phrygibus, nec Rex Aegyptius ultrà
Restitit, humani postquam puer alitis expers
In Phrygiam primam laxavit murmura vocem.

Sed Suidas hæc deridet, prout & eam vocem *Becus* primùm editam ab infante educato inter balantes ovium greges. Siquidem huiusmodi experimento cognosci nequit primogeniam linguam, quæ non fuit naturalis, sed Adamo infusa: alioquin muti, & surdi naturaliter loquerentur Hebraicè, quod tamen non videtur. In Histor.

Itidem poeticum credi licet illud Statii de Arcadum antiquitate

Arcades hinc veteres astris, Lunaque priores: Lib. 4. Theb.

Illud etiam Virgilii

Arcades ipsum Lib. 8. Æneid.
Credunt se vidisse Jovem

Siquidem Sacrę nos docent paginæ, neminem Adamo vetustiorem, & Præadamitarum error jam profligatus est.

Hebraicâ igitur linguâ impoſita fuere nomina cunctis animalibus, eorum naturam, eſſentiam, & qualitates denotantia. Hęc eadem lingua prius adhibita fuit ad Dei cultum, eamque primùm adhibuit Enos ad concinendas divinas laudes, eademque cum ſobole propagata fuit uſque ad Heber, à quo Abram denominatus fuit Hebræus, juxta illud: Gen. 14. *Nunciatum eſt Abram Hebræo*.

Lib. 1. de conſenſ. Evangel. cap. 14. Novi hujuſmodi denominationem ab Auguſtino deduci ab Abraham quaſi Abrahæo. Sed refellit hanc opinionē Scriptionis modus, qui in Abraham litteram initialem facit א, & in Hebræo, & Heber facit ע. Lib. 2. Retract. c. 14. In Geneſ. cap. 14. Fortè hac de cauſa ſententiam hanc retractavit S. Auguſtinus. Etſi aliter ſenſerit S. Jo: Chryſoſtomus quod parentes Abrahami tale nomen ab initio indiderint, ſignificantes, illum inde migraturum trans Euphratem, & in Paleſtinam venturum. Talis enim tranſmigratio non innuitur ex nomine Abrahami, ſed ex Heber, ut norunt Hebraicè periti.

Hinc Rabbini duplicem dant rationem, ob quam Abraham denominatus fuit Hebræus: videlicet ר׳ נחמיה אמר שהוא מבני בניו עבר ורבנן אמרי שהוא מעבר ומשיח In ב״ר fol. 47. 1. בלשון עברי *R. Nehemias ait, quia Abraham erat ex poſteris Heber: ſed magiſtri noſtri dicunt, quia erat transfluuialis* (nempe veniens in Meſopotamiam tranſierat fluvium Euphratem), *& quia loquebatur Hebraicè*. Rationē transfluvialis amplexi ſunt ſeptuaginta Interpretes illud *Hebræo* transferentes τῳ περάτῃ *Euphratæo*.

Sed

Sed utraque oppugnatur ratio ab adversariis, nimirum quia Abraham non Hebraicè, sed Chaldaicè locutus sit: nam in lib. Judith asserit Ochior Ammonites, quod populus Hebraicus proveniat ex progenie Chaldæorum: quod utique verificari nequit, ni Abraham proveniret ex Chaldæis. Et videtur confirmari ex Ghemarà; à qua requiritur causa, ob quam Judæi fuerunt captivi in urbe Babylonica, & respondetur ibidem, & alibi: quia ablegavit eos Deus in domum matris suæ, videlicet, quia Abraham in Babylone natus erat.

Cap. 5.

Tr. פסחים cap. 10. Tr. נפרס c. 5. Tana רבי אליהו & in זוטא c. 38. & 44.

Et si non illic fuit Abrahami patria, certè in Vr Chaldæorum constitui videtur ab Abenezra, & Abravanello. Hinc sæpius dicit Deus in Sacris Bibliis ad Abraham: *Qui eduxi te de Vr Chaldæorum*. Quæ verba urbem aliquam Chaldæorum innuunt, unde alibi dicitur. *Assumpsit autem Terac Abraham filium suum, & Loth filium Aram filii sui & eduxit eos de Vr Chaldæorum, ut irent in terram Canaan*. Sed urbem fuisse negat historia à Majemonide relata in More Nevochim, & alibi, in qua dicitur, Abrahamum, ob cultum unius Dei à Nembrodo injectum in ignem qui Hebraicè dicitur etiam *Vr*, à quo venit Latinum *Vro*, & inde per Angelum à Deo ereptum & liberatum, ut postea factum est Ananiæ, Misaëli, & Azarię. Quę Historia seu quod factum non rejicitur apud nos à D. Hieronymo, & confirmatur apud Vulgatam in libro Esdræ ubi dicitur: Deus, qui *elegisti Abram, & eduxisti eum de igne Chaldæorum:*

Aben. in Genes. Abr. in Genes. p. 22. col. 2.

L. 3. c. 29. Jalcut 1. p. ar. 60. 67. 77. R. Eliez. in פרקי c. 26.

2. qq. Heb. In Esd. 9.

 & Eccle-

& Ecclesia Catholica confitetur in commendatione Agonizantis, pro quo orat: *qui liberasti Abram de igne Chaldæorum*.

Concedimus quidem, quod Abraham, priusquam habitasset in Charran, habitaverit in terra
Act. 7. Chaldæorum, apud nos dicente D. Stephano. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrabæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charran, & dixit ad illum: exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi & tunc exiit de terra Chaldæorum*. Et concinit Josve
Cap. ult. dicens. *Patres vestri habitaverunt trans fluvium*, idest *trans Euphratem*. Et idcirco Abraham intelligitur Chaldæus ex habitatione, non verò ex sanguine Chaldæorum. Quemadmodum Doeg Hebræus in
I. Reg. 21. sacris paginis vocatur Idumæus, non quia fuerit ex progenie Idumæorum, sed quia diu manserit in Idumæa גר בארץ ארום לפיכך קראו ארום *Peregrinatus est in terra Edom, idcirco eum vocat Idumæum*, inquit R. D. Kimchi; qui aliis exemplis id comprobat, nem-
I. Reg. 11. pe Uriæ, qui nuncupatus est *Hethæus*, & Ithra nun-
I. Par. 2. cupatur *Ismaelites*, & Athai nuncupatur *Gethæus*,
II. Reg. 15. de quibus nomenclaturis, nempe Hethæo, Ismaelite, & Gethæo addit idem Kimchi מיוחסים על שם מקומם שהיו גרים בהם *Attribuuntur propter nomen locorum, in quibus peregrinati sunt*. Et certum est ex fide, quod Ochior Ammonites dixerit hæc verba, *Populus iste est ex progenie Chaldæorum*: nam sacer textus refert hæc verba, utpote dicta ab eodem Ochior, non

quia

quia vera, & certa, ut interpretatur Celada. Similiter exponitur illud dictum Rabbinorum de nomine אברם, videlicet אב לארם *Pater Syrorum*. Hoc enim intelligitur, quod Abraham converterit ex idololatria ad agnitionem unius Dei Chaldæos, à R. Jonathan dictos כשדים idest כשדים *quasi dæmones*. In Tr. ברכות

Opponitur, quod Charran fuerit patria Abrahami, quia in sacris litteris nuncupatur *terra nativitatis Aram*, fratris Abrahami. Sed quod Charran fuerit patria Aram, fratris Abraham concedimus, de Abrahamo negamus.

Tandem objicitur, quòd lingua Hebræa non fuerit lingua specialis familiæ, scilicet Abrahamiticæ, sed fuerit lingua naturalis, & communis in regione Canaanitide. Unde dixit Isaias. *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes linguam Canaan*. Quod adimpletum dicunt Rabbini, cum Onias, frater Simeonis Justi ædificavit templum Alexandriæ, ut narrat Fl. Joseph, & Hebræi illuc concurrentes, loquebantur linguam Canaan, idest Hebræam. Cap. 19. L. 13. c. 4.

Identitatem linguæ Hebrææ & Cananææ demonstrarunt binæ columnæ in Tingitana Africæ provincia, à Procopio relatæ, in quibus referebatur perfugium Cananæorum in Africam quos Josve in ingressu in Palestinam ejecerat: Tandem Plautus in Comedia, cui Tit. *Pænulus*, refert plurima verba, non dissona à lingua Hebræa, quæ congerit, & examinat, probatque Samuel Bochartius. L. 2. Vandalic. Selden. de Diis Syris p. 18. In Canaan.

Ad textum Isaiæ respondetur, quod vel adimple-

ta eſt illa prophetia tempore ſecundi templi, quando ædificatum eſt templum Alexandriæ ab Onia; vel tempore D. Marci ob prædicationem Evangelicam in Ægypto, ut communiter aſſerunt Catholici: Si primum accipitur, illa verba לשון כנען lingua Canaan, explicat Raſci יושבי הערים החם ילמדו לשון ישראל יושב כנען היינו שפת ארמי שהיה נהוג אצל היהודים בעת ההיא של בית שני *Habitatores illarum civitatum* (in Ægypto) *diſcent linguam Iſraëlis habitantis in terra Canaan, ideſt linguam Syriacam, uſitatam eo tempore ab Hebræis ſecundi templi*. Vel intelligenda ſunt verba Iſaiæ juxta Catholicorum expoſitionem, & pro lingua Canaan exponendus eſt ſermo Evangelicus, ibidem prædicatus à D. Marco. ergo lingua Canaan interpretanda eſt vel pro lingua Syriaca, vel pro eloquio Evangelico, non verò pro lingua Hebræa.

Pręcipuè quia non latet differentia inter linguam Cananęam, & Hebręam, quas non eaſdem, ſed tantùm *confines* aſſerit D. Hieronymus, & addit D. Auguſtinus. *Cognatæ ſunt, & vicinæ Hebraica, Punica, & Syriaca* & alibi ait. Nā & ipſe *Chriſtus à Chriſmate appellatur, id eſt ab unctione*. Hunc Hebræi dicunt Meſſiam, *quod verbum Punicæ linguæ conſonum eſt, ſicut alia Hebræa per multa, & penè omnia.* Sed ignoravit ſenſum vocis Hebraicę, Oſanna, quē tamen refert ex aliena relatione eorum, *qui noverunt linguam Hebręam*. Quare non arguitur identitas linguę. Tandem D. Hieronymus ſcribit, *Tyri & Sidonis in Phænicis littore civitatum Carthago Colonia: unde & Pęni ſermone corrupto, quaſi Phæni appellantur, quorum lingua*

Iſa. 19.
In Jo. c. 15.
L. 3. cont. litt. Petil.
Tr. 52. in Jo.
Comm. 5. in Hier.

lingua Hebreę linguæ magna ex parte confinis est. Ergo ſicuti lingua Tyriaca non eſt Hebraica, ita nec Punica eſt Hebraica, ſed cognata, & affinis. Quare ſtatuendũ cum Gerardo Jo. Voſſio, *Linguam Cananæam, & qua utebantur Iſraëlitæ, diſcrepare dialecto, ſicut differunt Hollandi inter ſe, vel iidem à Flandris ſaltem non amplius quàm Germani ſuperiores ab illis, qui Belgicum incolunt.* De progreſ. hæreſ. l. 3. c. 44.

Non ſecus ac Galilæi, licet Hebræi, plurimum dialecto diſcrepabant ab Hebræis Jeruſalem incolentibus: unde miniſtri dixerunt D. Petro: *Galilæus es tu: nam & loquela tua manifeſtum te facit.* Et ex Talmude optimè noſcitur, qualiſnam fuerit ſermo Galilæus, qualis profecto hodie ſermo Januenſis à reliquo ſermone Italicarum gentium, quamvis Janua ſit Italiæ civitas.

Nihilominus hiſce non obſtantibus adhuc contenditur, linguam Abrahamiticæ familiæ fuiſſe Chaldæam, ex eo quod Laban, ex cognatione Abrahami, propter impoſitum nomen lapidum acervo, illum nuncupaverit Syriacè יגר שהדותא *Acervus teſtimonii.* Et oppoſitores non advertunt, quod Jacob, nepos Abrahami, illum nuncupaverit Hebraicè גַל עֵד *Acervus teſtimonii.* Quam nuncupationem fecit uterque *juxta proprietatem linguæ ſuæ*, addit ſacer textus. Inquiro, an hæc proprietas linguæ oriebatur ex ſpeciali familia, vel ex regione, in qua quiſque vivebat. Jacob quidem nuncupavit Hebraicè non ex proprietate regionis, quæ erat Meſopotamia, cujus Gen. 31.

ſermo

ſermo erat Syriacus, ideoque ea vocabatur ארם נהרים *Syria duorum fluminum*, nempe Euphratis, & Tygris. Ergo juxta regionem nuncupavit Laban, & conſequenter Chaldaicus ſermo ex regione, non ex proſapia ei obveniebat.

Tandem, ne diutius detineam benignitatem meorum Auditorum, memor ſum proverbii in Eccleſiaſte: *Melior eſt finis orationis, quam principium.*
Cap. 7. Finem apponam lectioni, ſolùm addens ſuavitatem linguæ Hebraicæ, expreſſam iis verbis apud Davidem.
Pſ. 136. *Cantate nobis de canticis Sion*, ſuper quæ ſcribit Gilbertus Genebrardus. *Hæc ironicos proponunt, vel reſpiciunt ad famam, & celebritatem canticorum Hebraicorum. Sunt enim linguarum aliis ad modulationem, & muſicam emendatiores, quas omnes Hebraica vincit.*
Ibidem. Et exponens illud, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena*, addit. *Canticum hoc deſignat lætum carmen &c. vel in genere canticum Eccleſiaſticum, qui erat excellentiſſimus, & jucundiſſimus olim in Synagoga; & hodie in Eccleſia. Primò ob linguæ Hebraicæ Euphoniam, ſuavitatem, & conſonantiam. Secundò ob ejus majeſtatem, ad quam nulla alia pertingit. Tertiò propter varietatem, & multiplicitatem vocum, ideſt, notionum. Quartò ob concinnitatem, & dulcedinem proſodiæ &c. adde quarto loco formam, artem, artificium, materiam cæleſtem, & divinam, conſolationum, flammarumque ſpiritualium plenam &c.* Hæc Genebrardus, quem ſequitur Thomas le

Blanc.

Blanc. Et hæc inservire possunt pro responsione ad Joannem Salam, scribentem, solùm Hebraicam linguam non retinendam post generalem Resurrectionem, quia suavitate, copia, & perspicuitate caret. Nam ex iis verbis Sophoniæ, *Reddam populis labium electum*, in cęlo futuram linguam Hebręam quam, nuncupat *Labium electum*, idest, linguam, & locutionem eximiam, & pulchram exponunt omnes Interpretes, quos refert, & sequitur Cornelius à lapide, asseruntque linguam Hebræam restituendam, quæ perdita fuit in linguarum confusione, quandò terra erat labii unius, & sermonum eorumdem. Cap. 3.

Et ex iis verbis D. Pauli, *Si linguis hominum loquar, aut Angelorum*, linguam Angelicam asserunt Hebræam esse Haymo, Remigius, Cajetanus, Galatinus, & Viguerius apud Cornelium à lapide: iisque addendi sunt Vivaldus de monte Regali, & Jo. Cardinalis, quos refert, & sequitur Genebrardus, eosdemque sectatur Major, & Michaël de Palacios, quos refert, & sequitur Ludovicus S. Francisci Lusitanus, & Henriquez, & Salmeron, Franciscus Georgius Venetus, & Bonaventura Bertramus. Pro quibus aliisque prætermissis satis sit tantùm adducere S. Philippum Nerium, qui assistens morti Helenæ puellæ, filiæ Fabritii de Maximis, post ejus obitum vidit illius animam in cælum deferri, & audivit Angelos animam deferentes Hebraicè concinere. Ita ex relatione Eminentissimi Baronii narrat Petrus Jacobus Baccius in Vita S. Philippi Nerii. Ergò

I. Cor. 14.
In Ps. 50.
In Glob.
Arcan. linguæ Sanctæ p. 34.
L. ult. de fin. hom. c. 27. §. 2.
To. 1. Prolog. 14.
In Harmon. cant. 3. To. 1. modul. 11. concent. 2.
In compar. ling. Hebr. & Aramęę. L. 3. c. 2.

pro Christianis morientibus verificatur Rabbinorum
Talm. Tr. כתובות c. 12. p. 104. dictum . בשעה שהצדיק נפטר מן העולם שלוש בתות של מלאכי חשרת יוצאות לקראתו וכול. *Cum moritur justus, tres classes Angelorum ministerii obviam ei occurrunt &c.*
Cap. 13. Ut sileam, quod apud nos legitur in libro Tobiæ, & Cap. 19. in Apocalypsi D. Joannis, quod in cælo canatur *Alleluia*, quæ est vox Hebraica, & apud Isaiam notum Isa. 6. est canticũ Seraphicum קרוש קרוש קרוש יהוה צבאות *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.*

Quantum porrò honorem contulerit linguæ Hebrææ Dei filius, habetur ex eo quod animam agens in Cruce, conquestus est cum suo divino Patre iis verbis: *Eli Eli, lammasabachthani*. Quibus prioribus, & Hebraicis verbis præcedentiam concessit præ sequentibus verbis Syriacis.

Me non latet interpretatio D. Epiphanii, ex Hebræis oriundi, & reddentis rationem, ob quam Christus Dominus incæpit Hebraicè, & terminavit Syriacè. *Quam verò restabat*, inquit, *non amplius* Lib. 2. hæres. 69. *Hebraica lingua, Syriaca prophetavit, quo subverteret eos, qui Hebraicam jactant.*

At considerandum est, quod Christus Dominus maximè diligebat eos, utpote qui ex iis carnem, & sanguinem sumserat: hinc in signum dilectionis evenit, ut procul inspecta Jerosolyma, fleverit super eam ab futurum illius excidium. Similiter in horto oravit ad Patrem, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Quibus verbis meditabatur juxta Eusebium Emisenum, seu Gallicanũ futuram Hebræorum

ruinam ob mortem ſibi illatam. Quamobrẽ de futura ruina condolens præ amore, quo Hebræos proſequebatur, orabat Patrem, *Tranſeat à me calix iſte*, non utique calix paſſionis, pro qua ſponte in mundum venerat, ſed ne Hebræi excidio perirent. *Nemo putet*, inquit Euſebius, *timore mortis eum orare, ut calix paſſionis ab eo transferatur, cum Petro diſſuadenti dicat, Vade retrò Satana, ſcandalum mihi es, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt. Non eum abſolutè orat, ut calix ab eo transferatur, ſed calix iſte: quia etſi pro ſalute mundi mori venerat, à Judæis tamen, ſi fieri poſſet, occidi nolebat.* Itaque quos maximè diligebat, quomodo poterat eorumdem linguam odiſſe? Homil. in Dominica Palmarum.

Hæc in præſenti lectione ſufficiant de præſtantia, nobilitate, & antiquitate linguæ Hebraicæ, in ſequenti lectione, ſi Auditores mei favebunt, loquemur de utilitate linguæ Hebraicæ.

EGO infraſcriptus attentè perlegi Proœmialem hanc lectionem de Præſtantia linguæ Hebraicæ, in qua obſervata eſt à me non mediocris Authoris eruditio, & litteralis Sacræ Scripturæ intelligentia. Unde eam typis dignam eſſe cenſeo. Romæ ex Conventu S. Mariæ ſuper Minervam die 29. Martii 1696.

F. Antoninus Maſſoulié Inquiſitor Toloſanus ac ſocius Reverendiſſimi F. General. Ord. Prædicatorum.

FINE


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE